

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4361

**Auteur(s) :** Raoul de Pollie [particulier]

**Auteur(s) :** Philippe, femme de Raoul de Pollie [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1286, août

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Raoul dit de Pollie et sa femme Philippe, fille de Nicolas Voisin, de Coutances, vendent à l'abbé et aux chanoines de Sainte-Trinité de La Lucerne pour 32 sous tournois la rente annuelle que Raoul Le Bouchier devait auxdits Raoul et sa femme pour un enclos dans la paroisse de Saint-Pierre-de-Coutances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° CXLVI, p. 131-132.

Texte établi d'après a

Noverint universi presentes et futuri quod ego Radulfus dictus de Pollie et ego Philippa, uxor dicti Radulfi, que fui quondam filia Nicholai Voisin, de Constanciis, de nostro communi assensu et pro nostra utilitate et necessitate, vendidimus et concessimus finaliter et omnino dimisimus in perpetuum viris religiosis abbati et conventui abbacie Sancte Trinitatis de Lucerna videlicet tres solidos Turonensium annui redditus quos Radulfus Le Bouchier, dictus de Piro, nobis debebat et reddere tenebatur annuatim, ad festum Sancti Martini estivale, ratione dicte Philippe, de nostra parte seu portione cujusdam clausi in parrochia Sancti Petri Constanciensis sitti inter vicum per quem itur de burgo Constanciarum ad molendinum domini Comitis, ex uno latere, et clausum Ricardi de Gardino quem tenet et habet de Guillelmo de Falesia, ex alio latere, et butat, ex uno capite, ad terram Guillelmi Hugonis et ex alio ad terram dicti Guillelmi similiter percipiendos, habendos et reddendos predictos tres solidos Turonensium annui redditus de cetero in perpetuum annuatim, ad terminum antedictum, predictis abbati et conventui dicte abbacie et successoribus eorumdem per manum dicti Radulfi Le Bouchier et heredum suorum, seu per manum cujuscunque tenentis de cetero clausum suprascriptum, scilicet portionem nostram dicti clausi libere et pacifice sine contradictione nostri aut heredum nostrorum aliqua de cetero facienda, cum omni alio jure quod nos habebamus seu habere poteramus in dicto Radulfo, ratione dicti clausi. Et tenemur nos dicti Radulfus et Philippa et heredes nostri et tenebimur de cetero predictis abbati et conventui et successoribus eorumdem hec omnia predicta garantizare, deliberare et defendere contra omnes bona fide et in omnibus observare indempnes, vel alibi in nostra propria hereditate ubicunque, valore ad valorem competenter excambiare, si forte garantizare, deliberare et defendere non possemus. Ita tamen quod dicti abbas et conventus dicte abbacie et eorum successores seu attorney eorumdem poterunt ibidem in dicto clauso suam plenariam justiciam exercere singulis annis, si necesse fuerit, tam pro predictis tribus solidis Turonensium, quam pro aliis suis redditibus de antiquo consuetis, salvo jure domini regis Francie et tribus auxiliis Normannie consuetis. Juravimus etiam nos dicti Radulfus et Philippa, tactis sacrosanctis ewangeliis,

hec omnia predicta et singula nos fideliter servaturos et quod contra premissa de cetero non veniemus ullo modo. Et si ego dicta Philippa contra premissa, tam ratione mei hereditagii seu redditus venditi, alienati seu incombrati, seu dotis vel dotalicii, quam aliter, aliquo modo venire presumpserim, quod absit, ego, ex nunc, volo et concedo quod ego tanquam rea perjurii sim punita. Et ad hoc ego obligo me specialiter et expresse. Pro hac autem venditione, concessione et dimissione a nobis taliter facta, predicti abbas et conventus de suis bonis communibus triginta duos solidos Turonensium nobis dederunt et persolverunt in peccunia numerata, excepto tridecimo cessante. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen, et ut hoc firmum et stabile permaneat in futurum, presentem cartam sigillorum nostrorum munimine roboravimus. Actum est hoc anno graciae M CC octogesimo sexto, mense augusti.